Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 579

Quelle:
Copyright:

XIV. *fol.* 204. *Sanctus honorius christianus ad solitarium quendam de Imagine mundi.* Extat istud Opus in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. Exemplar praesens ultra *Librum* II. non progreditur, ceterum omnia continet, quae ad aliud hoc *Vol.* exhibitum Exemplar notavimus, ut *Index* docet. Quantum Editio *Lugd.* e nostris emendari queat, vel in limine disce. Malis enim *septenis rivis inundato* prae *mundato*, mox *et positionem orbis* prae *Expositionem*, tum *scrutanti in scientię profundo* prae *in scientia profundo*, item *utriusque hominis salute* prae *utique hominis salute* &c.

XV. *fol.* 220. *Incipit alia explanatio de compoto* (computo) *non tamen honorij.* Difficile est in magno ejusmodi Theoriarum chronologicarum numero adsignare autorem. Praefens init: *Omnis ratio Compoti secundum cursum duorum planetarum. videlicet solis et lunę inuenta est ab antiquis* &c. Cum Articulo *De horis quibus conficitur annus* finitum putem Tractatum; aliena enim sunt, quae sequuntur *De Numero*, *De signo Crucis*, *De Salomone*, nempe poenitente, quin et futilia, v. g. *Tres dies sunt & noctes. in quibus uirilis si fuerit genitus. sine dubio corpus eius integrum manet usque in diem iudicij. hoc est. in VI. kal. febr. et in tercio idus aug. et in tercio kal. febr.* Atque in hoc abrumpitur clarissimus Codex, quem in *Germania* scriptum inter alia etiam suadet, quod in Articulo *De Numero* habetur: *Due leuge faciunt rastam.*

CCXCVII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 259. f. per duas columnas luculente et nitide exaratus, rubricis et literis initiorum picturatis distinctus, olimque *Monasterij S. dorothee in vienna* complectitur D. *Hieronymi Libros* XVIII. *Commentariorum in Isaiam Prophetam.* Praeit Praefatio e *Divina* ejus *Bibliotheca*, ubi Versioni Prophetae praefixa est, huc translata: *Nemo cum prophetas uiderit uersibus esse descriptos* &c. Dein: *In christi nomine incipiunt explanacionum libri in esaiam prophetam.* A Prologo videlicet ad *Eustochium*, cujus initium: *Expletis uix longo tempore in XII. prophetas* &c. In hoc Prologo certe rectius legitur: *qui legis litteras nosse se iactant*, quam *Regis litteras*, quod habet *Vallarsii* Editio T. IV. *col.* 4. quam contuli. Fortasse fuerit etiam melius, quod paullo infra occurrit, *cum in datione sit spiritus, qui loquitur*, quam *in ditione*; neque enim *datio* vocabulum Veteribus ignotum. Denique habetur *maiorum omnium ingenia* pro *majorum nostrorum.* Non desunt tamen, in quibus Librarius noster peccavit. Ad calcem Operis accessit elegans Tabula picturata, in qua capitatim Argumenta Prophetae, et ut plurimum ratio Expositoris notatur. Unde ad *Dorotheanos* Canonicos pervenerit R. 2283